Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sic eum uinctum, consputum, alapis cesum, cola-
phizatum, ueste alba indutum, spinis corona-
tum et flagellatum, ferentem super humeros suos prin-
cipatum, foras extra ciuitatem in golgotha educere.
Sic eum lapidare, sic eum gentibus de quibus dicitur:
potens est deus de lapidibus istis suscitare filios
abrahe, crucifigendum tradere. Sic eum lapi-
dare, acutis clauis manus et latus eius configen-
tes, inter latrones eum suspendentes, felle et ace-
to eum potantes, et lancea latus eius aperientes. Sic
moriatur, qui mors mortis efficiatur. Sic unus
homo pro populo moriatur, ne tota gens morte con-
summatur. Sic anima eius in morte ponatur, per
quem populus domini uiuificetur, cuius uulneribus iniqui-
tates omnium curentur, cuius liuore dolores omnium
sanentur. SEQUITUR.

Fecerunt ergo ciues eius maiores natu et optimates
qui habitabant cum eo in urbe, sicut preceperat eis
iechabel, et sicut scriptum erat in litteris quas mise-
rat ad eos. Ciues naboth maiores natu et opti-
mates faciunt, quia principes sacerdotum, scribe
et pharisei, qui ciues et amici filii dei esse debu-
erunt, consilium traditionis et iudicium condemp-
nationis ad Christi perficiunt. Qui cum eo in urbe habi-
tabant, quando in uno consensu cerimoniarum
legalium cum eo ambulabant, quando dul-
ces cum eo legis et prophetarum cibos capiebant.
Faciunt isti sicut eis iechabel preceperat, sicut synago-
ga disposuerat, et sicut in litteris scriptum erat quas
ad eos miserat, quia scriptura legis, psalmorum et pro-
phetarum, quam synagoga acceperat, testimonium mor-
tis Christi prohibuerat. Ieiunium predicant, sedere faci-
unt naboth inter primos populi, et adductis duobus
uiris filiis diaboli, faciunt eos sedere contra
eum, quod in superioribus est expositum. Et illi scilicet
ut uiri diabolici, uoluntatem et preceptum faci-
unt patris sui diaboli. Dicunt contra eum falsum
testimonium coram multitudine et concilio
malignantium, ut per suam falsitatem perdant ipsam
ueritatem. Benedixit naboth deum et regem, dicendo

destruam hoc templum manu factum, et in tri-
duo reedificabo illud non manu factum. Quam
ob rem educunt eum extra ciuitatem, ut per suum
sanguinem scilicet gentium multitudinem lapi-
dibus eum interficiunt, dum persidis militibus sus-
cipientes eum crucifigunt. Sic ad iechabel
mittunt, quia principes sacerdotum, scribe et pha-
risei ipsum in cruce pendentem deludunt,
quo synagoge uota perficiunt. Lapidatus est
inquiunt naboth et mortuus est. Quid aliud fuit
hoc per inter nuntios dicere, quam exprobrando et
blasphemando principes malicie de morte
Christi synagoge alluderet. Ecce ille rex israel est
crucifixus, ecce ille uerus dei filius est mortuus.

Factum est autem cum audisset SEQUITUR.
iechabel lapidatum naboth et mortuum, lo-
cuta est ad achab. Surge et posside uineam
naboth iezrahelite, qui noluit tibi acquiescere
et dare eam accepta pecunia. Non enim
uiuit naboth, sed mortuus est. Quod cum au-
disset achab mortuum uidelicet naboth, sur-
rexit et descendit in uineam naboth iezra-
helite, ut possideret eam. Factum frequens
et celebre hic ponitur, quo mysterii summa
concluditur, quia mortis Christi uita mundi perficitur.
Audit iechabel lapidatum naboth et mortuum,
cum synagoga audit Christum de cruce sublatum,
et in sepulchro iui repositum. Iechabel ad
achab loquitur, cum synagoga populum iudai-
cum alloquitur. Surge in legis tue confir-
matione et posside in templi glorificati-
one uineam naboth iezrahelite, hereditatem
filii MARIE. Qui tibi acquiescere noluit, cum
tue legi sua decreta superposuit. Qui tibi ac-
quiescere noluit, cum noua precepta de con-
temptu mundi instituit. Qui tibi noluit
dare eam accepta pecunia, quam tu expen-
disti in peregrinorum sepultura. Non enim uiuit
naboth, ille conspicuus, qui dei uoluit esse
filius, sed est mortuus, quasi homo reus, quod